



**M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 7. Cur Tibullus porcum hostiam mysticam dixerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

At Homericus Vlysses apud Achillem querens de ferocitate  
Troianorum, nescio quid hoc modo nuntiat:

Prospere Iupiter his dextris fulgoribus edit.  
atque ita eum legit Petrus Marsus: indicatque, versum  
esse sumptum ex Iliados nono. ut valde mirer, quæ  
fuerit eorum audacia, qui Aiacem postea pro Vlysse  
scripterunt. Nam quod Victorius credit esse μημε-  
ριστον Ciceronis αμαζητημα, non viderat videlicet veteres  
libros, neque commentarium Marsi. Quem si legisset,  
cognouisset etiam, se non valde necessariam operam  
sumere in emendando quodam loco è primo corun-  
dem librorum: ubi de Iamidarum familia mentio est.  
eum enim Marsus & probè ac incorruptè scriptum re-  
pererat, & eruditè interpretatus erat, adducto eo ipso  
Pindari loco, quem adduxit postea Victorius. Iniquum  
autem puto, quenquam sua latide fraudari: ideoque  
verum harum emendationum auctorem indicaui. ne-  
que dubito, quin Victorius ipse, quem ut insigniter  
eruditum esse video, ita insigniter probum & planè  
ingenuum esse audio, si & hæc, & alia quædam, quæ  
ut noua profert, ab aliis notata scitisset, aut non atti-  
gisset, aut suis auctoribus accepta retulisset. quod idem  
mihi etiam de aliis quibusdam eruditissimis homini-  
bus facile persuadeo. Elegantem enim & liberalem  
doctrinam liberalis etiam natura plerumq. comitatur.

*Cur Tibullus porcum hostiam mysticam dixerit.*

#### CAPUT VII.

**N**on satis, quod sciam, à quoquam explicatum  
est, cur Tibullus porcum hostiam mysticam vo-  
cauerit, eo versu,

*Hostiaq; è plena mystica porcus hara.*  
quinetiam eius rei ignoratione, in quibusdam libris è

E 3      mystica

Anc Muret  
Varia Lectione  
LIB. III.

mystica factum est, rustica. sciendum autem est, in illis Cereris sacris quae mysteria dicebantur, eam consuetudinem fuisse, ut quisq. pro se Cereri porco faceret. seu quod animal illud infestum Cereri crederent: quia femina pando, ut ait Ouidius, erisset rostro, annique spem intercepisset; olim idque deam eius caede gaudere crederent: seu quod è suillo rostro arandæ & inuentanda terræ ratio primùm accepta esset: nam id quoque multi prodiderunt. neque sanè satis conuenit inter antiquos scriptores, de caussis, ob quas hoc aut illud animal huic aut illi deo immolaretur. alij enim, quod cuique deo gratissimum esset, id ad illius aras mactari solitum aiunt. itaque equus Martis erat hostia. & quod aper Adonin interfecisset, apro Veneri rem diuinam fieri nefas erat. alij, quod quisq. deus odisset, eius potissimè illum caede oblectari putabant. itaque Nocti sacrificabatur gallus gallinaceus: quod cantu suo dicim prouocare, noctem fugare videretur. capra Palladii quod oleam insigniter laederet. Sed vtra de caussa porcus Cereris caderet: illud certe obseruabatur, ut & pinguis esset, & nulla sui parte mancus ac mutilus, quod etiam vniuersè in toto victimarū genere seruabant. ergo porcos mysticos aut mystericos vocabant, qui pinguisimi & integerrimi essent. Plautus sinceros factes vocat. quare Megarensis ille Aristophaneus, qui filias suas pro porcis vendere cuperet, iubet eis, ut faciūt ingressæ ita grunniāt, ut porci mysterici esse videantur:

*Kαὶ πετενὲς τὸ σάκιον ἀδέσποται.*

*Οπως δὲ χρυλλιξεῖτε καὶ ποίξετε,*

*Χαὶ σεῖτε φωνὰς χοιρῶν μυστηκῶν.*

& paulò post interrogatus à Dicæopoli, quid ferret, porcas se mysticas ferre responderet:

*Δι. Ποτὶ φέρεται; Με. Χοῖρος ἐγώντα μυστικός.*

*C. Veneti*